

42 varias regulas, ampliaciones, & limitationes, in lib. 3. var. quæst. & com. opin. crim. tit. 10. de pen. temperan. quæst. 88. Vbi dolus, fraus, & culpa quid & quotuplex sit; & quæst. 89. An dolus, fraus, & culpa in dubio præsumatur; & quæst. 90. Vbi quomodo probetur dolus & fraus. & quæst. 91. & seq. Vbi de præsumptionibus inducentibus, & excludentibus dolum. Ego ad illos te remitto cum in modo tractandi dilucidius, & per-elegantius hoc usurpati minime posse arbitratus fuerim.

ARGUMENTVM.

Facto vnius ex socijs alij non obligantur aduersus creditorem, sed solum obligati intelliguntur finita societate aduersus consocium.

SVMMARIVM.

- 1 Consocij non obligantur facto vnius ex socijs.
- 2 Ex contractu socij, socius non tenetur, nisi probetur pecuniam versam esse in utilitatem communem.
- 3 Res quæ sita per socium, post societatem contractam, non quæritur socio ipso iure.
- 4 Socius rem communem totam alienare non potest, & quomodo hoc procedat.
- 5 Sicuti rem communem nec pignori dari potest.
- 6 Tria contraria fundamenta ponuntur, & solvuntur.
- 7 Ex contractu socij non obligantur consocij, etiam si debitum contractum cum socijs communicetur.
- 8 Omnium bonorum socij, rem communem alienare non possunt, nec pignori eam dare, nec personam socij ex ipsorum facto obligare.
- 9 Frater de proprio soluit debitum, quod durante communionem contraxit.
- 10 Fallit quando per contrahentem debitum probatum fuerit contractum fuisse occasione rerum communium, & in utilitatem communem profectum.
- 11 Dos non restituitur de communi, nisi probatum fuerit à fratre, vel socio in utilitatem communem conuersam esse.
- 12 Detrahitur Dos de communi ante omnia per fratrem vel socium qui onera matrimonij sustinuit, & hæc in diuisione non venit.
- 13 Frater maior præsumitur dotem minoris natu recepisse, & ideo detrahi debet ante omnia de communi, absque alia probatione, quod ipsa in rem communem versa sit.
- 14 Idem statuitur in Patre, ipse enim præsumitur recepisse dotem filij.

- 15 Socius non incidit in pœnam contractus celebrati per consocium.
- 16 Consocius non obligatur ex facto socij etiam si artem simul semper & promiscue exercerent.
- 17 Ponitur dubium, & soluitur, circa hoc.
- 18 Socius non tenetur compensare creditum quod habet v. g. cum Titio, cum debito quod consocius habet cum eodem.
- 19 Socij licet non obligantur ex facto consocij erga creditorem obligantur tamen erga consocium.
- 20 Socius debet conservari indemnis pro patre, etiam si consocius esset condemnatus.
- 21 Consocij non obligantur facto socij, quando debitum contractum non fuit ratione societatis.
- 22 Sicut nec obligantur quando probatum non fuit debitum versum esse in utilitatem communem.
- 23 Socius non obligabitur ex facto consocij, si protestatus fuerit ne contraheret.
- 24 Quilibet socius erga creditores tenetur in solidum, quando socij publicum officium representant.
- 25 Socij tenentur in solidum ex facto eorum Institoris.
- 26 Sicut quando vnus eorum pro omnibus socijs exercet.
- 27 Socius de facto assumpti, erga consocium tenetur.
- 28 In culpa est socius qui male eligit; & ideo de culpa tenetur.
- 29 In solidum obligantur socij de facto consocij, quando tacita eorum voluntate apparet, & quomodo fiat demonstratur.
- 30 Socij si separatim negociantur, & exercent in diuersis locis vnâ vel diuersas mercantias, videntur inuicem propositi.
- 31 Consensus siue expressus sit, siue tacitus parit obligationem.
- 32 Inuicem sunt obligati socij quando occasione societatis, contractum fuit debitum, & in communem utilitatem conuersum.
- 33 Consentire videntur qui tacent, & non protestantur actui, vel non prohibent actum.
- 34 Tenentur de facto socij, in casibus in quibus rem communem eius inuicem consocijs potest alienare.

CAPVT QVINTVM.

De obligatione erga consocios, & creditores.

- 1 **I**N hoc quinto capite REGVLA constituenda est negatiua: factum enim vnus ex socijs consocios nõ obligati, est communis opinio Doctorum, & est textus apertus in l. si socij sumus. in fi. ff. pro socio. & in l. iure societatis. ff. pro soc. & ibi glos. Vbi ex contractu socij, socius

cuius non tenetur, nisi probetur pecuniam, siue debitum versum esse in utilitatem communem; & facit regula quod ex alterius contractu alius non teneatur. *l. inter stipulantem. ff. de verb. oblig. & S. si quis alium Inst. de inut. stipulat. & circa hoc vltimum, vide Alex. conf. 114. & in l. eius qui. ff. si cert. petat. Vbi plenè tractat an vnus teneatur ex contractu alterius in solidum.*

3 Sed præcipua nostræ regulæ ratio est, quia obligatio, vel res quæ sita per socium post societatem contractam non quæritur socio ipso iure, *l. si quis societatem. ff. pro socio, & l. si socius. ff. si cert. petat.* Sed tenetur communicare, ergo si per socium non potest socio ipso iure acquiri, ita personam socij socium obligare non posse æquum erit.

4 Accedit quod nec possit socius rem communem totam alienare, ergo nec personam socij obligare. Consequentia patet. Antecedens probatur per *l. si vnus, & l. nemo. ff. pro socio, & tradit Specul. par. 3. tit. De empt. & vend. num. 66. & seq.* vbi dicit quod res communis solum pro parte alienari potest, non in totum. Et Io. Bertach. in suo repert. par. 5. littera S, fol. mibi. 76. col. 2. circa med. vbi tradito quod socius non possit rem communem alienare, limitat etiam hoc tum in rebus venalibus, prout sunt merces, in quibus vnus videtur ab altero propositus ad vendendum, secundum Bart. in *l. nemo. in princ. ff. pro soc. & Bald. in rubr. C. pro soc. in fin.* Tum in alijs rebus socio tamen non contradicente, quod in dubio non præsumitur, secundum Bal. in *l. in familia. in 2. col. in ver. Quæro quid. C. fam. exercisc. & Alex. in l. de pupillo. S. si plurium ff. de op. nou. nunc. & alios ab eodem Bertachin. ibid. citatos; Tum si socius sciat, & taceat, quia sibi præiudicat, *gl. in l. cum proponas. 1. in gl. prima C. de pact. Tum denique in fisco qui potest rem communem inuito socio alienare. l. 2. & ibi Bart. & Bald. C. de communi rei alien.* Has fallentias, prout dixi, posuit formaliter Bertach. loco cit.*

Huic fundamento optimè quadrant etiam tradita per Azor. *Instit. moral. par. 3. lib. 7. cap. 3. vers. quintò quæritur.* Vbi nec socium rem communè posse pignori dare tradit, per *l. 1. C. si com. res. & per l. 2. C. com. diuid. & per l. si fratres. C. com. ver. iud. & per l. cõuentio generalis ff. de pignor.*

6 Verum contra supradictam Regulam multum vrgere videntur tria præcipua fundamenta. Quorum primum est, quia si debitum contractum fuit occasione societatis, socij in solidum tenentur, vt dicam inf. in cap. de expen. latè, & est *tex. in l. sed nec es alienum. ff. pro socio; & l. si inter fratres. ff. pro socio. S. si quis;* Sed respondeo aliud esse quærere de actione pro socio, quæ inter socios finita societate datur, & certum est socios teneri, vt dicam inf. hoc eod. cap. limitat. prima, aliud verò quærere de iure creditoris, & hoc casu non tenetur erga creditorem nisi ille qui cum eo contraxit; Confocij verò qui cum eo nõ contraxerunt, non item, vt sup. regularibus dixi.

Secun-

Secundum fundamentum, quod contra regulam vrgere videtur, desumitur ex *l. cum te C. si cer. petat.* hoc modo, si quilibet ex socijs contra debitorem agere potest *d. l. cum te;* Ergo, & erga debitorem quilibet teneri, iuris esse videtur. Sed verus intellectus illius legis est quãdo socij ambo contraxerunt, & vnus tantum pecuniam accepit, per *l. si non singuli, & l. cum te. ff. & probatur in l. si plures, ff. de pact. & in l. si duo, ff. de arbitr.*

Tertium denique fundamentum contra regulam est, quia in societate quilibet ex socijs in solidum tenetur creditori, *l. omne es alienum; ff. pro socio, l. cum duo, ff. com. diuid. & l. habebat in si. ff. de instit. cum similia.* Sed Bartolus in *l. an eadem in vi. quæst. de duob. reis, & in l. si tamen plures, ff. de exercit.* supradicta iura declarat, obijcit, & respondit, distinguit, & conciliat; Tu super hoc vide omnino *Pet. de Perus. de duob. frat. part. 4. in princ.* qui distinctionem Bartoli latè refert, & ne discedas à regulâ superius tradita, nisi in casibus à *d. Pet. de Perus. traditis, & à me in inferioris limitationibus positis.*

7 Amplia ergo primò regulam procedere etiã si debitum per alterum ex socijs contractum, communicetur alijs; Nam nec hoc casu obligatio contracta cum illo, obligabit socios non contrahentes. *Pet. de Perus. tract. de duob. fratrib. part. 9. in prin.*

8 Amplia secundo regulã procedere etiam in socijs omnium bonorum; Nam etiam ij ex quo non possunt rem communem alienare, nec etiam pignori dare, prout testatur Azor. *instit. moral. part. 3. lib. 7. vers. 5. quæritur,* qui citat *d. l. nemo.* Ita nec poterunt personam socij obligare, ad tradita per me superius hoc eodem cap. *vers. accedit. num. 4.*

9 Amplia tertio regulam supradictã etiam in fratribus in communiõne hæreditatis adhuc manentibus; si enim alter eorum debitum contrahit cum aliquo, ipse solus de proprio debitum soluet. Est distinctio originalis. *Specul. in tit. de iudicijs lib. 4. S. sequitur, ver. quid si duo fratres. num. 7.* Vbi distinguendo casus egregiè hoc dicit, & post *Specul.* hoc idem repetit *Petrus de Perus. de duob. fratrib. part. 9. quæst. 1.* Vbi respondens legi, omne es alienum, ff. pro socio, quæ ob stare videtur, dicit illam procedere tantummodo in re alieno contracto occasione societatis, & citat *l. sed nec es alienum, ff. pro socio.* Hoc idem videtur sentire *Bald. in addit. quam facit ad tract. Bart. de duob. fratrib. num. 27. mibi sol. 114.* Vbi non teneri fratrem dicit, si debitum occasione societatis non contraxerit.

10 Hanc ampliationem tertiam restringe quando per contrahentem es alienum probatum fuerit debitum contractum fuisse occasione bonorum communium, & profectum in utilitatem communem, hoc enim casu de communibus bonis fratrum erit soluendum debitum, ad tradita per *Bal. in add. ad tract. Bart. de duob. fratrib. num. 27. & facit optimè l. omne es alienum, ff. pro socio, & l. pomponius la. 1. & l. seq. S. 1. ff. de neg. gest. & Pet. de Perus.*

Perus. d. quaest. 1. Vbi tradit quod si probatum non fuerit debitum contractum non fuisse occasione bonorum communium, & in utilitatem communem profectum, à contrahente tantum solui debeat sine grauamine ceterorum, citat. *l. iure societatis, ff. pro socio, & l. ex part. §. si filius, ff. fam. ercisc. & Specul. d. tit. de Ind. lib. 4. §. sequitur. vers. quid si duo frat. num. 7. in fin. Vbi clarè hoc determinat.*

Nec obstat quod debitum fuerit contractum manente communione, & ideo quod videatur alios fratres etiam teneri, *vt l. non debet alteri, ff. de reg. iur.* Nam hoc non sufficit sed requiritur quod in utilitatem communem sit versum, & quod occasione societatis fuerit contractum, per ea quae superius dicta fuere, & dicam inferius in sublimitatione primae limitationis. Hæc rotæ est doctrina *Specul. loco cit. quam quasi de verbo ad verbum transcriptam reperio apud Petrum de Perus. dicta part. 9. quaest. 1. tractat. de duob. fratrib.*

Amplia quartò regulam in dote, quam manente communione alter ex fratribus ex propria eius vxore acciperet. Nam nec hæc restituenda est de communi; nisi probatum fuerit per eundem fratrem illam in utilitatem communem conuersam esse, sed de parte solum fratris illam recipientis soluenda, *vt patet ex supradictis, & voluit Bart. in tract. de duob. fratrib. §. 1. quaest. num. 10. mibi fol. 113. & post Specul. d. lib. 4. tit. de ind. §. sequitur, vers. quid si communione num. 8. tenet id. Pet. de Perus. loco sup. cit. per Iura ibid. ab eo allegata.* Et ita ego dum essem causarum Auditor apud Illustrissimum Dominum Marchionem Opicium Liccianæ respondi, in causa cuiusdam Georgij, & fratris de Villis Panicalis, eiusdem districtus, quo probato iudicari quod dos in diuisione non veniret, sed ante omnia detraheretur per eundem quoniam matrimonia sustinuit. *ad tradita elegantissime per Bertach. in repert. part. 2. littera D. verb. Dos non venit. col. 1. fol. mibi 129. vbi refert Bart. in l. actione, §. si cum l. seq. ff. pro soc. & Bald. in l. si patruus, C. com. vir. iud. & alios.* De hac sententiam, stante maxima licigantium paupertate, contentus fui de vno caeseo ex onium lacte confecto.

Restringe tamen primò hanc quartam Ampliationem, quando frater maior natus administrauerit bona patrimonialia quae tenebat indiuisa cum minori fratre; Nam hoc casu si non appareat quid sit factum de dote fratris minoris, praesumitur fratrem maiorem eam recepisse; & ideo frater minor, siue probauerit dotem versam in communi, siue non, illam ante omnia detrahet de communibus bonis. *Ita Bald. in cons. in Christi nomine Amen. Proponitur quod duo erant fratres. Quem refert, & sequitur Bertachinus in suo repertor. d. part. 2. littera D. verb. dos non venit. in fi. fol. mibi. 129. col. 2. & ita sensu Pet. de Perus. d. tractat. de duob. frat. part. 9. quaest. 2. vbi inter multa alia quae in hoc proposito tangit, dicit tempore diuisionis, dictam dotem fratris minoris detrahi debere de bo-*

de bonis communibus, ex eo quia per consuetudinem dictorum fratrum omnia perueniebant ad manus fratris maioris, omniaque aduentitia conferebantur, & participabantur, & ideo idem de dicta dote iure esse praesumendum. *arg. l. vel uniuersorum, ff. de pig. act. & l. pradijs, §. balneas, & §. titio, & §. qui domum, ff. de leg. 3. & l. procula, ff. de probat. Ita Petrus de Perus.*

Restringe secundo hanc quartam Ampliationem in casu quo dos recepta fuerit à Patre pro filio; Nam tunc diuisionis tempore fratres tenentur, & dos in diuisione non venit, sed ante omnia detrahitur de bonis communibus, licet probatum non fuerit in utilitatem communem versam esse, *l. si filia. in princ. & §. 1. & 2. ff. famil. ercisc. & Specul. d. §. sequitur. vers. quid si communione num. 8. vbi optima iura adducit.*

Amplia quintò regulam (& venit illatiuè ex iam dictis) ut nec socius incidat in poenam contractus celebrati per alterum socium. *Bald. in l. si patruus, in 4. col. vers. sed pone, C. com. vir. iud. Franc. Por. de duob. fratrib. 2. part. quaest. 55. & Alex. in l. cum duobus, §. idem Papinianus, ff. pro socio.*

Amplia sextò procedere regulam etiam si socij negociationem aliquam, siue artem, simul semper, & promiscue exercerent; Nam tunc quod etiam ex facto vnus non obligetur alter, est opinio *Petr. de Perus. d. tractat. de duob. frat. part. 5. quaest. 4. dum disserit de Macellarijs, hac praesertim ratione motus, quia aliud est creditorem esse sequutum fidem corporis societatis, aliud verò solum fidem illius quo cum contraxit, sine commemoratione societatis; Nam sicut ex tali contractu (inquit ille) non agit corpus societatis, sed solus contrahens, ita econuerso solus contrahens conueniri debet, l. cum duobus, §. si fratres, ff. pro socio, & l. licet, C. decurio. lib. 10.*

Contra hanc sextam Ampliationem facere videtur aperte *tex. in l. si tamen plures, ff. de exercit.* Vbi quoties duo exercent promiscue aliquam artem, & quandoque vnus, quandoque alius, in statione, siue artis apotheca videtur, vnus obligat alterum.

Sed respondeo hoc procedere posse, quando nomine societatis alter sociorum contrahit expressè, & quando in dubium non vertitur quod illud factum socij in utilitatem artis versum fuisset, per ea quae superius dixi, & dicam inferioris in limitationibus cum suis sublimitationibus. Ideo in casu quod super praedictis aliquid dubij remaneret, ne discedas à praedicta limitatione, praesertim si non extaret probatum, quod probandum asserit id. *Petrus de Perus. d. tract. de duob. frat. part. 9. quaest. 4. quem omnino vide.*

Amplia septimò (& hæc Ampliatio est ferè eadè cum regula) etiam in casu quo meus debitor merces meo socio vendendas tradidisset, & ipse cum illis mercibus aufugisset; Nam ex eo quod, prout in regula dixi,

dixi illi in solidum ex facto mei socij nõ teneor, licet ipse cum meo socio contraxerit; nec cũ meo credito debitum mei socij cõpensare debebo. Citatur ad hoc l. procuratoris, §. pluries, ff. de tributor. sed opinione Petr. de Perus. d. part. 9. quest. 6. male allegatur, per ea quæ ibi ipse dicit, confirmat tamen ipse hanc Ampliationem multis rationibus, & auctoritatibus, quas tu apud eundem poteris videre.

19 Limita tamen primò regulam supradictam procedere solum erga creditorem, non verò erga consocium, nam erga istum benè obligantur socij, arg. l. omne as alienum, cum l. seq. ff. pro soc. Vbi duo casus colliguntur in hac materia, quos vide, & tene menti, & facit quod dicit Ang. in l. frater à fratre, ff. de cond. ind. per l. certum, C. fam. ercise. vbi socius debet 20 conseruari indemnis ab altero pro parte, etiam si ipse solus esset condemnatus; & Petr. de Perus. d. tract. de duob. frat. part. 9. in prin. Vbi per d. l. omne as alienum, voluit quod si diuidatur societas, tunc socij qui non contraxerunt cauere debeant de defendendo socium contrahentem, quando in diem debitum contractum fait; sed quando putè, quod socius contrahens deducere possit de societate totum illud debitum.

Sublimita tamen hanc primam limitationem quando debitum contractum non fuit per socium occasione societatis, & impensum non fuit in re societatis; Tunc enim nec consocios contrahenti socio obligari est textus in l. sed nec as alienum; & in l. si inter, §. si quis, ff. pro soc. sicut nec 22 obligantur socio, nec minus creditori, quando socius in societatis commodum debitum versum esse non probaret. ad iradita per Specul. d. tit. de iudic. lib. 4. §. sequitur. num. 7. & est tex. in d. l. sed nec as alienum, & d. l. omne as alienum, & l. inter societas, ff. pro soc. & l. verum, §. id quod, ff. pro soc. vbi inter socios non deducitur quod debetur à socio, nisi ex ipsa societate debeatur.

Sublimita secundo eandem primam limitationem quando socius 23 sciens tertium cum socio velle contrahere, expressè protestatus fuerit ne contraheret. Nam tunc si contrahatur stante dicta protestatione, protestans non obligabitur, nec creditori, nec ipsi socio. Ita Io. Bologna. in l. non solum, §. morte, de op. nou. nunciat. comentar. num. 85. mibi fol. 110. Vbi contrariam Alex. sententiam refert, & declarat, per iura ab eodem ibidem commutatinè adducta.

Limita secundo regulam in casu quo socij publicum officium representarent. Tunc enim ex facto consocij quilibet in solidum erga creditorem tenetur, l. si vnus ex argentarijs. & l. in magistratus, ff. de magis conue.

Limita tertio quando quis per alium gerit, vt fit quando per institorios res, & suos exercitores, vulgò factores, à socijs in solidum positos contraheretur; Tunc enim quilibet tenetur in solidum erga creditorem institoria, siue exercitoria, l. 1. in fin. cum l. si seq. §. de inst. & exerc. & Bertach.

Bertach. part. 5. in reperor. littera S, verb. socij exercentes, in princ. col. 1. fol. mibi 77. Vbi socij si exercent mercantias per tertiam personam, omnes tenentur in solidum. Vide Petr. de Perus. loc. citat. part. 9. circa princ. qui aliquas restrictiones collectas ex l. 2. & 3. ff. de inst. & ex l. quicumque, §. non omne, ff. de inst. ad hanc limitationem ponit, & eadem parte q. 3. declarat plerè, quando socij teneantur pro parte creditori, & quando in solidum.

Extende supradictam tertiam limitationem procedere etiam in casu 26 quo vnus socius pro omnibus socijs exercet (tamquam factor) mercantias, nam tunc omnes in solidum tenentur. Bertach. d. par. 5. in reperor. littera S, verb. socij exercentes, mibi fol. 77. Et ratio esse potest quia ab alijs præpositus intelligitur, & de voluntate consociorum præsumitur, vt dicam inferius limitatione 5. hoc eodem tit.

Limita quartò regulam quando socius inuito consocio, alium in societate assumpsit. Nam ex eo quod socius non dicitur esse illius qui in illum non consensit, l. qui admittitur, cum l. seq. ff. pro soc. Guliel. Mayn. de reg. iur. §. socij mei socius in prin. & n. 11. Azor. inst. moral. lib. 9. part. 3. cap. 5. in fi. Socius erga socium de facto assumpti, qui socius assumentis dicitur, obligabitur, & e contra erga assumptum de facto socij. Dixi regulariter supra cap. 3. num. 4. & num. 5. vbi dixi hanc esse rationem quia 28 in culpa dicitur esse qui male eligit. Ang. Arret. inst. de societ. §. socius, Et ideo de illa culpa in qua est assumptus, tenetur ad tex. in l. de illo, ff. pro socio. Vide supra in d. cap. 3. numero 20. & seq. vbi de hoc ampliacionem, & limitationem posui.

Limita quintò regulam quando apparet de tacita voluntate vel expressa 29 consociorum, vt puta, quia inuicem sunt præpositi magistri, vel eorum erat consuetudo, vt quandoq; cum vno, aliquando cum alio contraheretur, vel vt quod vnus gerebat, alter exequabatur; in his enim casibus quilibet obligatur in solidum, arg. l. vel vniuersorum, ff. de pig. act. & tenuit Bal. in l. cum te. C. si cer. pet. Vbi in 2. col. in vers. si autem 30 contrahunt. voluit hoc etiam procedere siue vnus socius faciat vnã negociationem, & alter alteram, siue si ambo vnã in diuersis locis. Et ratio esse potest quia si separatim negociantur socij, & exercent in diuersis locis diuersas mercantias, videntur inuicem præpositi, & magistri. Bal. in l. 1. §. si plures, ff. de exercit. quem refert Bertach. part. 5. Reper. littera S, col. 1. verb. socij exercentes, in fi. fol. 77. & l. eius qui, & ibi Bart. in 7. col. in vers. vt no. ff. si cer. pet. & consequenter de tacita eorum voluntate in obligationibus apparet, vt dixi. Vnde in solidum tenentur, iuribus adductis, & maxime quia consensus, siue sit expressus siue tacitus parit obligationem. Specul. de caus. possess. & proprieta. §. 3. iuxta principium. Si autem non appareret de tacita vel expressa voluntate consociorum, non tenerentur consocij creditoribus, iuxta regulam su-

prædictam, tenerentur tamen socio quando super re in qua contracta fuit societas, & in utilitatem communem, debitum conuertisset; inuicem enim tunc sunt obligati, d. l. omne as alienum, & l. iure societatis, ff. pro socio, & vide quæ dixi superius hoc eodem cap. in sublimitatione ad primam limitationum num. 21.

Limita sextò regulam (& hæc limitatio venit illatiuè ex præcedenti) quando scilicet socij scirent & tacerent, & non protestarentur actui per consocium faciendo, vel actum illum non prohiberent; His enim casibus quia consentire socij viderentur, l. 1. c. de filiofam. & quemadm. Pater lib. 10. & Bart. in l. 4. §. si in venditione, ff. quibus mo. pig. sol. & Car. in ele. 1. §. Abbates, vers. no. de excess. Et insolidum creditori de facto consocij tenerentur ad tradita superius in præcedenti limitatione.

Limita vltimo regulam in omnibus illis casibus in quibus (prout dixi) hoc eodem cap. vers. Accedit. num. 4. secundum Bertachinum socius rem communem inuitis consocijs potest alienare; Nam in his consequens est vt ad illam rem consocij teneantur.

ARGUMENTVM.

Certis modis à iure præscriptis soluitur societas, & quando morte, & renunciatione solvatur.

SVMMARIVM.

- 1 Societatis contractus temporalis est.
- 2 Non valet Pactio quod societas semper duret.
- 3 Pactum quod societas semper duret non inducit obligationem naturalem, nec iuramento firmari potest.
- 4 Societas finitur, finito negotio cuius causa contracta est.
- 5 Sicut finitur finito tempore, si ad tempus contracta fuerit.
- 6 Finito tempore, & finito negotio renouata videtur societas, si socij continuant in ea.
- 7 Sola patientia renouatur societas.
- 8 Renouatam esse societatem non præsumitur in dubio, sed opus est probare renouatam fuisse.
- 9 Societas finitur extincta re, vel amisso capitali in quo contracta fuit.
- 10 Capitali extincto, non cogitur qui illud contulit, iterum capitale in societatem dare.
- 11 In soccita animalium amisso capitali, durat societas in fetu.
- 12 Bonorum cessione facta per alterum ex socijs finitur societas.
- 13 Item finitur per alienationem.

14 Publi-

- 14 Publicatione bonorum societas finitur, quando scilicet bona socij à fisco ob delictum publicantur.
- 15 Morte vnius ex socijs finitur societas.
- 16 Societas finitur morte vnius, etiam inter socios superstites, nisi aliter cautum fuerit.
- 17 Finitur etiam societas morte ciuili, veluti per deportationem &c.
- 18 Item finitur per ingressum religionis.
- 19 Soror an ex elemosyna recepta pro intrando in monasterium videatur tacite renunciaisse hereditatem paternam. Remissiuè. Sicut an illa elemosyna dicatur Dos num. 20.
- 21 Finitur societas per excommunicationem.
- 22 Societas ita morte finitur vt nec ad heredes transeat.
- 23 Sicut nec transit ad heredes societas qua intelligitur esse inter conductorem, & locatorem ad partem fructuum.
- 24 Contractus qui est inter conductorem, & locatorem ad partem fructuum, finitur omnibus casibus, quibus societas finitur.
- 25 Morte ita finitur societas, vt nec pacto fieri possit quod ad heredes transeat.
- 26 Contractus actiuè, & passiuè ad heredes transeunt.
- 27 Contractus ex conuentione legem accipiunt.
- 28 Communio lites parit.
- 29 Societas gabellarum morte non finitur, sed transit ad heredes, & quomodo hoc procedat. Vbi etiam an hæc ad heredes heredis transeat.
- 30 Ad heredes transit societas, si socij iuramento hoc pacti fuerunt.
- 31 Societas licet finiatur morte, nec transeat ad heredes, transeunt tamen ad illos commoda, & damna societatis, necnon actio pro socio.
- 32 Ob non diuisionem societatis mortuo socio, & ob continuationem negotij cum heredibus, censetur renouata societas.
- 33 Præsumitur in dubio cum heredibus renouata societas, iisdem pactis, & modis cum quibus à principio fuit cum defuncto ordinata.
- 34 Censetur renouata societas quando post finitam societatem socius post longum tempus suum capitale non deduxerit.
- 35 Mortuo altero ex socijs censetur renouata societas in heredem dum bona non fuerint diuisa.
- 36 Vidua dum secundas nuptias non celebrat, censetur esse sub præcedenti matrimonio.
- 37 Cum pupillo filio defuncti renouari etiam potest societas, accedente auctoritate tutoris.
- 38 Morte non finitur societas, quo ad negotium inceptum per defunctum.
- 39 Renunciatione finitur societas, vbi etiam societas sicut consensu contrahitur ita dissenso dissoluitur.
- 40 Finitur societas renunciatione, etiam socio inuito.
- 41 In communiōne nemo inuitus manere cogitur.

C 4 42 Com-

- 42 Communio parit discordiam; ubi etiam in fine quibus casibus quis cogatur persistere communioni, traditur remissive.
- 43 Pascuorum communionem etiam ex antiquo tempore contractam, populi iustis de causis possunt dissolvere, & dividere, & num. 44. traditur quomodo debeat fieri talis divisio.
- 45 Pauper non potest tot ligna scindere ex nemoribus universitatibus, sicut dives.
- 46 Renunciari potest societati per Procuratorem etiam generalem.
- 47 Valer renunciatio de societate, etiam si fieret procuratori, dummodo socius dictam renunciationem ratam haberet.
- 48 Non solum expressa, sed etiam tacita renunciatione finitur societas.
- 49 Societas sicut tacite contrahitur, ita tacite dissolvitur, ubi etiam dicitur societas ad beneplacitum.
- 50 Renunciari legitime non potest societati ante tempus, si ad tempus contracta fuit, & hoc casu renunciatus ad quid teneatur.
- 51 Tempus in conventionem appositum servandum est.
- 52 Societas habet in se tacitum tempus donec societati expedit, & ideo intempestive renunciatur renunciando dum societati expedit non renunciari.
- 53 Ante tempus renunciatur legitime, si socius renunciandi non servaverit promissa. Et num. 54. extenditur hoc casu posse renunciari, etiam si socii pactum iniissent de non dividendo; quod idem repetitur num. 62.
- 55 Item renunciari potest ante tempus, si socius sit nimis rixosus, seuus, vel damnosus; & num. 57.
- 56 Communione habere cum rixosis, seuis, & damnosis, nemo compellitur, & nu. 57. ob immodicam sevitiam ante tempus licet a societate recedere.
- 58 Fratres etiam prohibiti dividere hereditatem, possunt dividere impune, quando unus eorum est rixosus, vel molestus. Restringitur hoc quando socius scivisset esse rixosum tempore societatis contracta.
- 59 Renunciari potest societati ante tempus, quando socius uti non potest re, cuius gratia imita fuit societas.
- 60 Item renunciari potest societati ante tempus, quando socius iusta causa est abfuturus; & num. 61. fallit si renunciatus aequè commodè per alium facta societatis expedire possit.
- 63 Non legitime renunciatur societati nisi omnes socii consentiant.
- 64 Sicut nec quando renunciatur socio absente.
- 65 Fallit quando renunciaretur societati, Procuratore socii presente.
- 66 In fraudem societatis renunciari non potest.
- 67 Si omnes non dissentiant non valet renunciatio, Immo si quis separatim negociaretur; & lucraretur, lucrum cum sociis communicabit.

CAPVT SEXTVM.

Quomodo finiatur societas.

Egimus in superioribus capitulis de societate contrahenda: sed quoniam contractus societatis temporalis est, l. verum, §. fin. ff. pro socio; ita ut nec valeat pactio quod semper perdurare debeat, Ancar. quest. 54. num. 3. ubi ponit rationem, & refert Ang. in conf. 225. dicentem tale pactum nec inducere obligationem naturalem. Et Alex. conf. 18. n. 1. vol. 2. ubi ex facto respondit tale pactum iuramento firmari non posse; Hic modos subijciam quibus ea finitur.

Primò igitur solvitur societas tum finito negotio cuius causa contracta est, l. actione, §. item alicuius, ff. pro socio, & DD. in inst. §. solvitur, per tex. ibi in vers. item si de societ. Tum finito tempore, si ad tempus contracta fuerit societas, & hoc volunt communiter Doctores.

Limita tamen hoc quando perseverantia, & patientia utriusque socii continuatur in negotio. Nam tunc tacite renouata videtur societas arg. tex. in l. queritur, §. quod impleto, ff. locat. l. et legē, C. eod. l. in rebus, §. ult. ff. de pracar. sola enim patientia renouatur societas, Socin. conf. 88. num. 21. vol. 1. In quo advertas velim quod in dubio societas renouata non presumitur, sed opus est eam renouatam fuisse probare, Io: Ceph. conf. 247. num. 5. vol. 2.

Secundò finitur societas per emptionem rei in qua contracta est; Nam sicut mortuis personis extinguitur. ut dicam inf. hoc eod. cap. num. 15. sic etiam extinctis rebus finiri volunt DD. & est tex. in l. verum, §. penultimo, ff. eod. & Bal. in l. 1. quasi. 6. C. pro socio. in 5. col. Vbi amisso capitali societas finiri voluit; & Azor. Inst. moral. lib. 9. p. 3. cap. 6. vers. 4. queritur; Vbi etiam dicit quod quando perit fors principalis, ita solvitur societas, ut nec cogatur qui sortem in commune contulit, iterum sortem in societatem dare, quod voluit etiam idem Bal. in d. l. 1. quasi. 6. per l. si socius pro filia. vers. ne possess. eod. titulo. Vide si placet opiniones quas circa hoc ponit Ferrar. in form. lib. in cau. soc. cap. 4. num. 3. & vide Alex. conf. 117. num. 4. vol. 1. & conf. 131. vol. 5.

Limita tamen hunc secundum modum non procedere in soccitate animalium; Nam in hac licet regulariter quando animal id est capitale moritur finitur soccitate gl. in l. si id quod in prin. verb. societatem, ff. pro socio & Petr. de Perus. in tract. societ. part. 129. 20. durat tamen in factu si factus ad est. gl. in d. si id quod in prin. verb. societatem, & Bald. in d. r. quasi. 2. C. pro soc. quem refert Bertach. in suo repert. part. 5. verb. societas durat. fol. mibi 74.

Tertio solvitur societas si unus ex sociis a re alieno oppressus cesset